

Klarin fehlte Nr. 8

am 10.4.1917.

Suchier.

10.

DISPVTATIO MEDICA IN AVGVRALIS
DE
**MACVLIS PVNCTVLIS
SCINTILLIS ALIISQVE
CORPVSCVLIS VISVI
OBVERSANTIBVS**

QVAM
GRATIOSISSIMAE FACVLTATIS MEDICAE
CONSENSV
IN REGIA VIADRINA

PRAESIDE
**CAROLO AVGVSTO
à BERGEN**

MED. DOCT. ET PROF. PVBL. ORD.
NEC NON FAC. MED. h. t. DECANO

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET
PRIVILEGIIS LEGITIME CAPESSENDIS
IN AVDITORIO MAIORI

D. XV. APRIL. ANNO MDCCXLVII.
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTET
RESPONDENS

IOHANNES HENRICVS GÖDEKENN
HILDESIENSIS

FRANCOFVRTI AD VIADRVM,
TYPIS PHILIPPI SCHWARTZII, AGAD. REG. TYP.

DISPATATIO MEDICA IN VACARIA

MACULIS PUNCTATIS
SCINTILLIS ALLEGAE
CORPASCATIS ASAI
OBFESSIONIBAS

GRATIOSISSIMAE TACITATIS MEDICE
COPRAEA
IN AEGAEANIS

PRÆSIDER

CAROLUS AGASTO

Æ BERGEN

MED. DOCT. ET PROL. PAV. ORI

NUO MON UGC MED. J. DE PECORA

PRO GRADA DOCTORIS

CUMMISSARIE IN MEDICINA HONORIBVS ET

PRIVILEGIIS FELICITATEM CAPITENDIS

IN ADDITIONE MADIOI

EX ALTI ANNO MDCCXXVII

HANICO ERADITIONVM EKAMINI SAVILLIET

RESPONDENS

JOHANNES HENRICAS GÖDFEKERN

IMPRESOR

ALLEGORIA DE VACARIA

J. ANTHONY SCHWARTZ AGED. REE. THE



Q. D. B. V.

§. I.

Der maculas oculorum visui obversantes quasdam internarum oculi partium intelligimus laesiones, quibus correpti & detenti conqueri solent de imaginibus puneti cuiusdam nigricantis, vel plurimum simul, vel sub aliorum simulacrorum specie apparentium, floccorum scilicet, plumarum mollium, assularum concatenatarum, telae aranearum lacerae, scintillarum, signorum solis, vel aliorum lucidorum objectorum impressorum, ita, ut nil nisi visus quedam hebetudo, tamdiu nova oculorum viitia non concurrunt, semper conjuncta sit.

§. II.

Qui morbi (§. i.), cum ratione sedis & causae, citra praeviam descriptionem vitiosarum partium vix unquam rite

rite cognosci, multo minus curari possint, lubet, omissa plenaria descriptione oculi anatomica, in istas duntaxat inquirere partes, quarum notitia in explicanda sede, causis, & materia morbifica horum affectuum, carere non possumus; sub incudem simul vocatis iis, quae ad pleniorum intelligentiam repraesentationis objectorum ex ipsa visionis theoria symbolam conferunt.

§. III.

Anatomici fabricam oculi describentes non sine ratione bulbi partes in continentes & contentas distinguunt, quarum illas tunicae, has humores constituant, quaedam, quas contentas vocant, lucis radiis transitum concedunt, ut sunt *humor vitreus, crystallinus, aqueus*, quaedam hunc radiorum transitum moderantur, atque in primis ad perceptionem luminis, & objectorum iconismum faciunt, ut sunt *nervus opticus, tunica choroides, retina, uvea*. Quaedam nihil horum efficienes, partes internas teneras, immobiles, ita duntaxat firmant, ut sub quovis bulbi motu immutabiles maneant, nec e situ naturali disturbentur, quorsum *sclerotica, & albucineam* tunicam referimus: quarum vero descriptionem, quum nihil prorsus ad intellectum horum oculi morborum, qui nobis macularum nomine veniunt, conseruant, sicco pede transituri sumus.

§. IV.

Nervi optici ex thalamis nervorum opticorum ^{a)}, cerebriventriculorum extremis protuberantiis, oriuntur, & ab

^{a)} B. EVSTACH. Tab. Anat. XVII. Fig. V. VI.

& ab hoc loco extrorsum slectuntur, mox introrsum, deinde uniuntur super sellam Turcicam, postea secedunt facta cruce, subeunt foramen proprium, pergunt extrorsum, antrorsum, dura matre tecti, & bulbi partem interiorem, nasum versus sitam, ingrediuntur: qua ex insertione patet, hunc nervum non ex opposito pupillae bulbum penetrare, neque lineam ejus continuatam bulbi axin formare. In fabrica nihil peculiare habet, cum medulloso ejus substantia, aequa ac reliqui encephali nervi, durae ac piae matri involvatur, nisi quis in interiori sua substantia recurrentem arteriam & papillam, in quam terminatur, notari velit.

§. V.

Arteria per nervum opticum (§. 4.) decurrens GALENO ^{a)} jam sub nomine pori optici cognita fuit. Enim vero tam exilis est, ut, nisi injectio ceracea praecesserit, vel subjectum phrenitide succubuerit, simplici sectione nervi vix ac ne vix detegi possit. Oritur ab arteria carotide interna, haec enim osseum canalem emenfa, unum vel plures largitur ramulos, opticum comitan tes nervum, & cum ipso per fissuram sphaeno-maxillarem orbitam intrantes, seque per pinguedinem bulbi, scleroticam, choroideam disseminantes. ^{b)} Horum ramulorum unus ante ingressum in fissuram sphaeno-maxillarem nervi optici substantiam subit, & per axin ejus fere ad finem nervi decurrit. In medio enim originis

A 2 retinac

^{a)} Lib. de Multitud. cap. X. ^{b)} Truncum harum arteriarum Clariss. DRACKE Anat. Tab. XX. 1. dd. vocat ophthalmicum carotidis internae.

retinac opticus ibidem nudus papillam format, ex cuius ambitu, non centro, plures arteriolae ^{a)} prosiliunt papillam coronantes, qui sunt ramuli arteriae per axin nervi dicurrentis, quique per retinae laminam copiose distribuuntur. An vero, quod GALENI ^{b)} sententia est, arteria haec ex ipsa medullari thalamorum substantia provenit? ut testatur Celeb. ALBINVS. ^{c)}

§. VI.

In medio papillae *nervi optici* (§. 4.) foveola est, quod praeter MORGAGNVM ^{d)} & Clariss. WINSLOW. ^{e)} dudum jam evicit B. EVSTACHIVS ^{f)} sub nomine foraminis nervi visorii, cuiusque mentionem facit alibi ^{g)}, scribens: „se hoc foramen, multis reclamantibus, sexcenties ante amicorum oculos exhibuit. Accedit nervum ophthalmicum, tertii paris ramum primum, largiri ramulos, ipsum nervum opticum circumdantes, eundemque, docente WILLISIO, ^{b)} nunc constringentes, nunc relaxantes, & postremo in scleroticanam, choroideam & uream desinentes.

§. VII.

- ^{a)} Cl. MORGAGNI Epist. 16. No. 44. testatur ex fundo hujus papillae prodire arteriolam, in bove visu facillimam, aliquando plures una, ut praeter centralem illam aliae laterales ad sint. conf. etiam MALPICH. de cerebro pag. 9.
^{b)} Lib. de multitudo. cap. 32. ^{c)} In explicat. Tab. Anat. B. EVSTACH. edit. 1744. Leid. Bat. pag. 172. ^{d)} Epist. 16. No. 36. ^{e)} Expos. anat. pag. 664. No. 223.
^{f)} Tab. anat. Tab. XL. Fig. 2. 3. 4. 5. ^{g)} Tr. de off. exam. pag. 227. ^{b)} Anat. cerebri III.

§. VII.

Retina (§. 3.) itaque tunica est tenerrima, mollis & pulposa, albicans & quasi medullaris, cuius proin substantiam D. WINSLOW. *a)* comparat glutini ex farina cum aqua facto. Oritur circa insertionem nervi optici a radice, sive ambitu papillae ejusdem nervi (§. 4.), in progressu totum vitreum humorem succingit ad ligamentorum ciliarium initium usque, ubi secundum MORGAGNVM *b)* proprio circulo finitur, hisce iniunctis annexo. Quare, quae HENCKELIVS *c)* de retina ultra hunc circulum producta & in duas laminas, crystallini cystidem formantes, divisa, profert, vix verosimilia videntur. Tota ceteroquin est unita & complanata: unde rectissime D. PETIT. *d)* undas seu plicas a RVYSCHIO in retina observatas tribuit contrectationi bulbi ante tunicarum separationem, quae scilicet efficit, ut tenerrima retina tales contrahat plicas. Cl. WINSLOW. *e)* sequentibus argumentis pugnat, retinam non esse expansam & continuatam nervi optici medullam, sed sui generis tunicam, ad insertionem nervi optici natam. 1.) Quod nervus opticus contra reliquorum nervorum consuetudinem in unicum eamque magnam constringatur papillam: 2.) quod retina in fasciculum collecta crassior sit nervi optici medulla. At enim vero, cum ovum ovo similius esse nequit, quam retina substantiae medullari nervi optici, experientiae repugnat,

A 3

hanc

a) L. c. 664. n. 223. *b)* Epist. 17. n. 47. *c)* Commerce. Litt. Nor. 1731. pag. 71. *d)* Memoires L' Academie des Sciences 1726. pag. 110. *e)* l. c. pag. 664. 224.

hanc retinam, in fasciculum collectam, crassiorem esse medulla hujus nervi, imo, si vel maxime foret, hoc argumentum Celeb. Viri thesin haud confirmaret, cum dudum inter anatomicos constet, omnes nervos minimos, imo omnium arteriarum & venarum extremitates, in unum fasciculum collectas, semper longe esse crassiores iis truncis, ex quibus oriuntur.

§. VIII.

Dudum quoque Celeb. B. ALBINVS demonstravit, retinam vere in duas lamellas dividi posse & quidem in internam, & vitreo proximam vasculosam, ex arteriolis & venulis nervi optici (§. 5.) constantem, versus anterius subtiliorem, & pene evanescentem: alteram externam choroideae contiguam, crassiorem priori, veram medullam optici nervi expansi, ita, ut prior instar retis vasculosi per concavitatem posterioris ad imitationem fibrarum medullarium sese explicet, & binae lamellae interventu cellulositatis tenuissimae cohaereant. Haec vascula retinae in adultis hinc inde visuntur, in infantum oculis rarissime, nisi cerea accedat injectio, quod satis docet, a natura pro vehendo rubro sanguine non hic esse data, sed saltem pro lympha arteriosa purissima, quae vascula quoque pellucida conservat, fibrasque medullares retinae in officio sensationis non turbat. Ex quibus intelligimus, hoc rete vasorum visioni non officere secundum naturam, statim vero aliquid virtutis adesse, simulac in quibusdam ramulis, per impulsum a tergo varicosis factis, sanguis penetret. Usum quod spectat, nutrit forsitan haec

haec lympha vitreum humorem ejusque tunicam *bystroidem*. Qui vero fieri posse, quod LOEWENHOEKVS haec vasa sanguineo lymphatica a retinae medullosa lamina separare, imo eorum sanguinem exprimere potuerit, cum Cl. CAMERARIO ^{a)} capere non possumus.

§. IX.

Chorœides est secunda oculi tunica valde discrepans a retina (§. 7. 8.), scleroticae per vascula sanguifera adhaerens, coloris ubique fere nigricantis ad subruberum tendentis, nisi post tergum ubi albicit. Oritur prope insertionem nervi optici & extenditur ad circulum, juxta quem sclerotica mutatur in corneam pellucidam, ibidemque globi circumferentiam relinquendo, format cortinam circularem, in aquo humore fluctuantem, in medio perforatam, quae *uvea* vocatur. In loco firmioris suae adhaesionis pariter cingulum albicans format, peculiaris quasi-structurae, quod improprie *ligamentum ciliare* vocant.

§. X.

Constat haec tunica (§. 9.) ex duabus laminis, quarum robustior est externa, fortius cohaerens cum sclerotica, ubi nigricat, minus vero ubi albescit, ut saepius in oculo bovino observavimus. Interna vero lamina, tenuior scilicet, scatet isto pigmento ex atro rufo, quod aquam in dissectione oculi tingit, cujusque fontes adhuc hodie ignorantur. Ex injectionibus subtilissimis conjecta-

^{a)} Eclect. Medicin. dissert. epist. 9.

conjectare licet, hoc ipsum a sanguine vasorum chorœidis secerni. Quod originem hujus membranae spectat, recentiores anatomici negant esse fibolem piae matris, nervum visorium involventis, sed peculiarem tunicam. Claris. WINSLOW. a) hanc inde probat sententiam, quoniam chorœidis principium non directe respondet piae matris vaginae, & quia longe crassior pia matre est. Celeb. ALBINVS eidem sententiae sequenti experimento subscribit: monstat scilicet, si oculus transversim discinditur, remotis humoribus, & retina, in parte posteriori choroidis rotundam & albicanem apparere maculam, quae est sclerotica nuda choroidea non tecta, ergo ipsi conclusio: prope hanc partem oriri choroideam non ex nervo optico.

§. XI.

In regione oculi antica, ex choroideae dupllicatione pendula, & in aquo humore fluctuante, formatur *uvea*, quae, praeter vascula sanguifera in infantibus numerosiora, fibras ad luminis ingressum mobiles, circulares, & radiatas, seu longitudinales continet, lucem illabentem moderantes, & pupillam pro quantitate admisi luminis, momento citius constringentes, & dilatantes. Fibrae circulares, observante Cel. ALBINO, saltem in extremo uveae margine visuntur, unde concludit, in brutis plures dari orbiculares, in homine plures longitudinales fibras. Superficies uveae externa colorata est, unde *iris* nomen habet. Simplici caeteroquin inspectione patet,

a) Clariss. WINSLOW. Exposit. Anat. pag. 664. No. 225.

patet duplēcēm quasi esse substantiam iridis, alteram centralem, versus pupillam & profundiō in oculo sitam, omni momento ad lumiñis accessum mobilem; alteram periphericam, extorrisum positam & semper immobilem.

§. XII.

Non solum autem in tunicas (§. 7-11.) sed quoque in humores oculorum nos inquirere oportet, rite causas & sedem harum macularum, intellecuros. Humor itaque vitreus membranulae, cui hyaloïdes (§. 8.) nomen, inclusus, est corpus pellucidum flexible, aqua ponderosius, consistentiae albuminis ovorum, ex cellulosis membranulis, ab involvente tunica prorumpentibus, & lympha purissima ad ignem exhalante constans, undique retinae (§. 7.8.) contiguum & tantae molis, ut maximam cavitatis bulbi partem repleat. Membrana ejus anatomicas describitur ex binis lamellis contiguis constare, non nisi circa crystallini, vitreo inhaerentis, marginem pro formanda crystallini capsula secedentibus.

§. XIII.

Lens crystallina improprie humor crystallinus dicta, corpus est lenticulare, pellucidum, firmioris consistentiae ipso vitreo humore (§. 12.), in piscibus ex lamellis constans, in medio nucleus firmiore gerens, atque situm in fossula vitreo humoris insculpta, tectum denique hyaloidis duplicatura. Celeb. WINSLOW. a) refert
B se obser.

a) l. c. pag. 666, num. 237.

se observasse retinam, tenuiorem factam, sub processibus ciliaribus prolongari & obtegere simul anteriorem crystallini superficiem, indeque rationem in aprico esse, cur anterior crystallini tunica crassior sit ipsa hyaloide, quod ipsum tamen multas ob rationes nobis perfruadere non possumus; quid enim quaeſo retinæ, sensui dicatae, effet officii in loco ubi lumine tranſeunte non adſicitur? & quid obſtat, quo minus hanc tunicam exteriorem non dicamus peculiarem membranam ad marginem lentis crystallinae natam? certe eodem jure, quo dicitur *χρονεῖδης* peculiariſ tunica a pia matre non derivanda. Convexitas crystallinae lentis in parte postica major est ut plurimum, quam antica, raro aequalis, rarissime major in postica regione, notante id D. PETITO. ^{a)} Denique ligamenta ſic dicta ciliaria figuntur & firmantur ad orbiculum ciliare, certaque ratione crystallino inſeruntur, ut contracta ſimul rectiora fiant & crystallinum in anterioſ trahant.

§. XIV.

Humor aqueus, in ſenſu proprio humor dictus, eſt fluidum ſat lymphidum, aquosum, propria capſa carens, ſed implens cavum, quod eſt inter corneam pellucidam & crystallini (§. 13.) ſuperficiem. Ob pendulam & fluētantem in hoc liquore uveam haec cavitas duas format cameras, quarum anterior eſt ampliſſima. Secernit hic liquor ex arteriolis lymphaticis uvae, praefertim lateris exteriore, iridis ſeſſilcet, quae copioſiſſimas habet arterias & venas

^{a)} Memoires de l' Academie des sciences. 1726, pag. 113.

venas, cum posterior facies ob nigerrimum colorem
haec vasa minus manifestet. Secretus hic liquor per-
oram judicatur stagnare in hoc cavo, sed venarum
resorbentium ope iterum iterumque consumitur &
hac ratione sui generis circulationem exercet, cuius rei
veritas satis superque ex spontanea sinceri sanguinis in
hunc liquorem effusi discussione sece manifestat.

§. XV.

Haec partium internarum descriptio (§. 3. 14.) nos
sufficere potest ad eruendas causas sedemque macu-
larum (§. 1.) visum turbantium, modo simul hic ea non
negligamus, quae ex principiis opticis horum morbo-
rum cognitionem illustrant. Summa theoriae visionis
haec est: radii luminis parallela via in superficiem *cor-
neae pellucidae* illabuntur, quae hos omnes propter con-
vexitatem externam & substantiam ejus aqua densio-
rem reddit convergentes, ita quidem, ut horum con-
vergentia transeundo per aqueum humorem magis au-
geatur, quam imminuatur. Illabendo autem in super-
ficiem crystallini lentiformis adhuc magis convergen-
tes redduntur radii, qui postmodum per vitreum hu-
morem iter facientes in eadem propemodum directio-
ne manent, donec in superficie retinae focum suum
inveniant, in coquè objecta inverse repraesentent, ita
quidem ut in hac repraesentatione secundum Celeb.
MARIOTTE ⁴⁾ minime excludenda sit cho-
rœidis functio, cui quippe politura inest fere metal-
lica,

⁴⁾ Oeuvres, Luggd, Batav, 1726, 4to pag. 415.

lica, qua splendescit facillime, adjutante humore atro, quo à tergo imbuitur, quaeque tam arcte sociatur retinæ, ut una eademque videatur esse superficies. Absit autem, ut hac in functione peragenda pulpam retinae expansæ pro sola choroideæ cuticula habeamus, quod recte docente Celeb. HALLERO ^{a)} nimis temerarium foret. Sive nunc objecta inverse ^{b)} sive recto situ ^{c)} repraesentari velis, non tamen inde sequitur, focum crystallini (§. 13.) esse in superficie retinae (§. 8. 9.); & objecta a lumine reflexo vénientia repraesentari in hoc foco, de quo multis de causis dubitamus. Primo enim ex dioptricis principiis discimus, focum lenti convexae eo esse breviorēm, quo magis convexa fuerit; deinde quoque objectorum a lumine reflexo accendentium imagines nunquam in foco, sed post focum repraesentari. Quae data nobis sufficiunt ad concludendum: lentem crystallinam propter majorem convexitatēm in parte postica (§. 13.) focum suum minime projicere usque ad retinam, sed hunc esse circiter in medio vitrei corporis (§. 12.), quod ipsum sequenti experimento confirmatum damus, cum semper in oculo bovino axin totius vitrei & crystallini humoris invenerimus unum pollicem & $\frac{2}{3}$ liniae mensurae decimalis pedis Rhenolandici, focum vero

^{a)} In notis ad Praelect. BOERHAV. Tom. 4. 267. ^{b)} CAR-
TES. Dioptric. pag. 114. ^{c)} Ut habet GASSENDVS in
vita PEIRESKII. Oper. T. IV. fol. Lugd. 1658. p. 316.
cujus illa sunt: PEIRESKIUS post humorē omnes eductos
appensoque crystallino, & in locum pene suum resti-
tuto, imaginem candelæ observavit pingi inferius in re-
tina, non inverso, sed recto situ.

vero crystallini humoris nunquam ultra 3. & $\frac{1}{2}$ lineas longum. Ergo repraefentatio objectorum non potest fieri in foco crystallini, sed post ipsum, divergentibus iterum radiis & imaginem inverse in retina delineantibus. Quia vero ratione luminis rariantis repraefentatio fiat in oculo, an in foco? an aliter? iis, quibus opticae leges magis perspectae sunt, dijudicandum relinquimus. Hujus ceteroquin fori non esse videtur, causam inquirere, cur anima objecta inversa erecte videat, respondemus interim cum plerisque recentioribus physicis & speciatim cum Exim. HALLERO ^{a)} „mentem non videre in oculo, sed aeterna lege creatoris ea vi praeditam esse, ut sibi repraefentet lineas non in iis punctis & in eo ordine, in quo in oculo pinguntur, sed in iis punctis & ordine ex quibus radii ad oculum veniunt, nempe in extremis lineis, quae ab objecto nascuntur & ad retinam perpendiculares sunt.

§. XVI.

Hanc quoque ad theoriam spectat experimentum Dom. MARIOTTE ^{b)} qui alterutro oculo clauso inventit spatium in retina ad visionem innuptum. Cadit hoc ad eurare in locum papillae nervi optici retina carentis (§. 4.). Cl. BERNOVLLI ^{c)} docet hoc spatium esse circulum cuius diameter aequalis sit $\frac{1}{7}$ parti diametri totius bulbi; docet quoque centrum hujus circelli cum

B 3

pupil-

^{a)} l. c. pag. 260. ^{b)} l. c. pag. 496. ^{c)} Act. Petropolit. Tom. I. pag. 314.

pupillae oppositae centro non esse in eodem axi, sed distare $\frac{2}{3}$ partibus diametri bulbi, quod ipsum mensurata nervi optici in bulbum insertio satis comprobat. Binis autem oculis apertis hic naturalis defectus nunquam in sensus occurrit, cum oculorum axes non sint parallelis, sed alter alterius defectum suppletat. His itaque praemissis ad specialiorem nostri thematis pertractionem transitum facimus.

§. XVII.

Maculas, quae ante oculos versari solent nullo vi-
tio externo apparente, commode distingvimus in istas,
quae apertis oculis visuntur inter oculum & objecta, &
in istas, quae clausis & apertis oculis sese fistunt. Diffe-
runt ergo omnino ab iis, quae forinsecus intuenti visi-
biles sunt, ut sunt variae morbi corneae pellucidae,
aquei humoris & iridis, imo & lentis crystallinae, dequi-
bus nobis hoc loco sermo plane nullus est.

§. XVIII.

Maculae quas oculis apertis vident aegroti, ob simi-
litudinem delineatae imaginis punctorum nigricantium,
assulae concatenate, telae aranearum laceratae, aliquae
nominibus insigniuntur; suntque nihil aliud, quam in-
ternarum partium laevissimae laesiones, quae tramitem
& viam paucorum lucis radiorum impediunt, atque sic
distinctum visum quodammodo turbant.

§. XIX.

§. XIX.

Ratione sedis & causae differunt, saepissime enim latet vitium in retina, vix unquam in vitro & crystallico humore, aliquando etiam in aquo. Falluntur ergo, qui hic vel solam retinam, vel unicum aqueum humorum accusant, cum alterius indolis sint maculae, quae a vitio retinae, alterius autem, quae ab aliis partibus internis male affectis profiscuntur.

§. XX.

Si in retina (§. 78.) vitium est ex sequentibus signis sece manifestant: i. apparent hominibus simulacra sub forma unius vel plurium punctorum nigricantium, quae ad marginem filamentis, instar lanae vel telae aranearum laceratae, praedita sunt, quando objecta illuminata, ut coelum serenum, vel album parietem intuentur, omnium vero clarissime, si per microscopium compositum, ex pluribus lentibus constans, minima objecta contemplantur. ii. Videntur hae imagines in inspectione objectorum illuminatorum quasi volitare inter oculum & objectum, distinctum adeo impedientes visum. iii. Quo magis remota sunt objecta, eo clarius apparent imagines, ad propinquam minuantur, ad proxima evanescunt a). iv. hae maculae semper in eadem haerent a centro visus distantia,

& moto

a) Celeb. BOERHAVE in lib. de morb. oculor. Götting. 1746. 8. pag. 49. Curante Celeb. HALLERO dicit haec puncta perpetuo crescere ad certam distantiam, sed rationem reddit, Editori & nobis non intellectam, nec facile intelligendam.

& moto oculo moventur, quiescente quiescunt. v. Pro subiectorum discrime maculae plus minus sunt latae, & quoque plus minus distant a centro pupillae, seu visus axi, majorem tamen hebetudinis sensum imprimunt, si quando circa hunc axin versantur. vi. Oriuntur plerumque primum in uno duntaxat oculo & non statim sub figura puncti nigricantis apparent, sed referente **ANTONIO** ^{a)} maculam splendentem effingunt, quae tractu temporis nigra fit. vii. His maculis obnoxios pronunciamus juvenes tertii & quarti septenarii, qui remota objecta distincte vident, contra myopes & senes ab his plerumque immunes sunt.

§. XXI.

Diximus vitium horum phantasmatum in retina lateri (§. 19.), probandum itaque nobis est in praesenti causarum & sedis morbi scrutinio, hanc male affectam esse. Ex superioribus repetimus, retinam constare ex duabus lamellis (§. 8.) quarum, quae proxime vitreum corpus ambit, vasculosa est & a pulpa medulloso differt, constans quidem ex ramusculis arteriarum nervi optici, sed tantae tenuitatis, ut secundum naturam non amplius rubrum sanguinem, verum lympham pellucidam contineant, & puluae medullosoe ita incumbant, ut a speciebus visibilis tanquam vitrum penetrantur. Quod si ergo a causis remotioribus & praedisponentibus impetus sanguinis in arterias nervi optici augetur, etiam haec vascula retinae magis turgebunt, atque sic his causis persisten-

^{a)} Lib. de morbis oculor. pag. 401.

persistenteribus haec vascula varicosa facta praeter lympham sanguinem rubrum admittunt, unde opaca redundunt & luminis transitum ad superficiem retinae usque impediunt; haec autem obscurata retinae portio facultati sentienti extra oculum representabit maculam nigram objectam obscurantem. Idem propemodum effetus aderit, si vascula haec varicosa fibras retinae contiguas a se invicem removent, & divellunt, sicque tunc temporis non retinae, sed nudae choroideae accumbunt.

§. XXII.

Equidem novimus, plures dari auctores, qui sedem harum macularum non quaerentes in retina tantum non omnes oculi internas partes, ut vitio laborantes, accusant. Sic GALENVS *a)* arcessit causam horum phantasmatum obscurorum a flavae & sincerae bilis exhalatione. V. SCHEIDIVS *b)* a vapore peregrino aquo vel vitro humori admisso. PLEMPIVS *c)*, nec non J. G. BERGERVS *d)* causas horum simulacrorum turbato adscribunt aquo humori; quod ipsum & quidem de corpusculis in hoc humore natantibus vult D. PORTERFIELDTS *e)*. BRIGS malum ex spiritibus per fibras retinae hinc inde obstructas interceptis deducit. ANTOINE *f)* has maculas ponit in materia opaca in ipso crystallino vel membranā ejus reperiunda

C

Cl. MOR-

a) Comment. 3. in prog. tit. 34. *b)* Tract. de visu vitiat. Argent. 1677. 4to pag. 48. *c)* Ophthalmograph. lib. 4. pr. 22. *d)* Diss. de morb. oculor. Wittenb. pag. 37. *e)* Edenburg. Essais. Tom. 4to pag. 63. Ophthalmograph. pag. 87. *f)* I. c. pag. 403.

Cl. MORGAGNI ^{a)}) causam punctorum nigrorum re-
jicit in corpora opaca postremas vitrei humoris cellulas
inquinantia. Ast licet auctoritati tot gravissimorum au-
ctorum nihil detrahamus, non possumus tamen non in-
genue fateri, nos eorum amplecti sententiam, qui ma-
cularum, signis discriptis (§. 20.) sese manifestantium, se-
dem in retina collocant. Ipse HIPPOCRATES ^{b)}
has maculas a sanguinis plenitudine derivat, quae, quoad
internas partes ad visum facientes, in retina merito qua-
renda est. Truncos vasorum retinae impedire visionem
dudum monuit PECQVET ad MARIOTTE ^{c)} & ipse
D. MARIOTTE ^{d)} in defensione choroideae tanquam
principis visionis organi contra PERRALTVM, haec
vasa retinae etiam scribit visui quandoque nocere, imo
figura prima probare satagit ramifications horum va-
sorum varicosorum nunquam in medio pupillae seu axi
visus occurrere. Inter recentiores Celeb. BOERHAVE
& eximus commentator ejus Dom. HALLERV ^{e)}
eandem sententiam tuentur.

§. XXIII.

Expedit autem, ne amplius auctoritatibus pugne-
mus, rerum argumentis comprobare, sedem harum ma-
cularum (§. 18. 19. 20.) in retina quaerendam esse. Nam-
que si in retina non forent, necessario in vitro vel in cry-
stallino vel in aquo haereant oportet humore. Neutrum
accidere ex sequentibus patebit: si humoris vitrei pelluci-
ditas

^{a)} Advers. Anat. 6. pag. 93. ^{b)} Lib. de loc. in hom. seft.
7. tit. 2. edit. J. A. VON DER LINDEN ^{c)} Oeuvres Tom. 2.
pag. 504. ^{d)} ibid. Tom. 2. 516. ^{e)} l. c. T. IV. 270.

ditas turbatur, hoc aliter fieri nequit, nisi ex depravatione succi nutritii, qui secundum naturam purissima lympha est; vel extravasatione humorum peregrinorum. Utrumque vitium in dies citissima capit augmenta, ut inde glaucoma, seu obscuratio vitrei humoris & per consequens caecitas subsequatur. Nostrae autem maculae sine notabili augmentatione & visus depravatione aliquando per quinquaginta annos immutabiles manent, imo ingruente senectute iterum disparent, quod factu esset impossibile in humore vitreo & crystallino. Demus vero in crystallino corpore haerere morbum, repentinum augmentum necessario cataractam post se trahet; sed nunquam cataracta ex his, de quibus sermo est, nascitur maculis, imo saepe vera cataracta generatur & ad maturitatem pervenit citra necessitatem praecedentium istiusmodi macularum. Maximum vero argumentum pro praesentia horum punctulorum in retina nobis ex dioptricis experimentis desumitur, quibus quippe dudum innotuit, lentes convexas vitreas, maculis obsessas, has nunquam praesentare sive in foco, sive retro focum, ubi a radiis luminis reflexi objectorum deliniatio fit, ut quisque facile experiri potest. Sumimus in hunc finem sphaerulas ex cera factas diversae magnitudinis, appresimus istas superficie lenti convexae $1\frac{1}{2}$ pollicis & lentem ita posuimus, ut objecta post focum libere in parietem caderent, sed nunquam vidimus harum sphaerularum maculas vel imagines. Cui forsitan rei tribuendum existimamus, quod, qui cataracta laborare incipiunt, non tam de maculis, quam de obscuratione paulatim aucta conquerantur. Atque quo minus in aquo humore sedem

C 2

figant

figant hae maculae, vetant sequentes rationes: primum quia stabiles sunt, nec nisi una cum bulbo oculi mouentur, deinde quoniam aqueus humor his hominibus aequa nitet & pellucet ac perfecte sanis, cuius contrarium accideret, si ipse hic humor accusandus esset. Ergo cum hae maculae non nisi in luce apparent, haerent etiam in loco ad lucem affecto, scilicet in retina.

§. XXIV.

In scrutinio causarum praedisponentum remotarumque harum macularum (§. 20, 23.) maxime culpatur sedula lectio & contemplatio minimorum objectorum. Ita notus est D. Praesidi homo, qui ab annis viginti quinque his vexatur simulacris, & quorum generationem nulli alii tribuit rei, nisi frequenti microscopiorum & tuborum opticorum consuetudini, qua circa decimum octavum suae aetatis annum delectatus est, istiusmodi enim frequens minimarum rerum perlustratio visus aciem intendit, sanguinis ad oculos affluxum pedentem auget, sique vasa retinae pleniora reddit. S. YVES ^{a)} ad has causas macularum praedisponentes refert refrigerationes capitis post valida corporis exercitia, quibus sanguinis & humorum ab exterioribus ad interiora recursus pariter promovetur. Imo ex genere harum causarum non excludimus diurnum objectorum illuminatorum aspectum: quippe observavit D. Praes ab eo tempore, ex quo urbis hujus domus luteo pigmento sunt incrustatae, plures homines de his maculis conquestos esse, quam quidem olim factum

^{a)} Traite des malad. des yeux. Paris. 1722. pag. 332.

factum recordatur. Solis enim radii immediate has domus illuminantes jubar efficiunt, quod non sine molestia, imprimis serena tempestate, cives perferunt.

§. XXV.

Non aliam teste experientia de hoc malo (§. 20. 24.) formamus prognosin, quam quod, tametsi difficile sit curatu, omni careat periculo, & rarissime, nisi aliae causae & alii morbi accesserint, caecitatem post se trahat. Remedia enim hic praescripta equidem mitigare, non autem penitus curare solent affectum. Juvenes hoc ipso correpti vix ac ne vix liberantur, licet praescripto regimini morem gerant. Si vero propter aetatem ingruentem plethora naturalis minuitur & vascula retinae deplentur, hae maculae si non in totum, duntaxat in tantum iterum disparent, quod hominum quorundam exemplo, si opus esset probare possemus.

§. XXVI.

Curationis successus ex probe formatis indicatiōnibus curativis dependet, cum autem praesens affectus in dilatatis p. n. & varicosis vasis retinae consistat, quae a sanguine impacto extenduntur (§. 21.), ea, quae liquido distendenti vires impulsus detrahunt & vasculis majorem elaterem & contrahendi vim conciliant h̄ic duas necessarias indicationes constituant. Primae indicatio- ni satisfacimus (α) minuendo copiam liquidi diffidentis. Eminet hoc scopo imprimis in malo recenti larga venae- sectio, quae a veteribus ad animi diliquium usque insti- tuebatur. In iis, qui jam pridem his maculis conflictati sunt, venaesectio in brachio semel vel bis quotannis celebra-

celebrata, hunc ad minimum habet effectum, ut tales maculae non increcent, sed potius sub iisdem conditionibus persistant; in primis si superstes in vasculis sanguinis portio adhibitis diluentibus & nitrosis ad justam aquabibilitatem deducitur. (β) Revellendo humores a loco affecto; quod per purgantia mercurialia, pediluvia, clysmata, quadantenus obtinetur. (γ) Resolvendo superstes crassum in vasculis hisce; cui scopo inter alia medicamentum ab ANT. MVSA, AVGVSTI medico commendatum locum habere poterit: estque hoc pulvis fol. Betonicae ad 3j in aquae calidae cyathis 4. infusus, de quo patiens quotidie jejunis bibat horis. α) Curram vero, quam S. YVES β) ex therapia Gallis confreta ponit in usu juscotorum ex cancris fluvialibus, purgantibus reiteratis, infuso euphrasiae, pulvere viperarum & millepedum commodiorem pronunciamus pro curandis maculis aquei humoris (§ 32.). Pessime agunt, qui ad delendas maculas retinae utuntur aquis ophthalmicis camphoratis & quas spiritus foeniculi ingreditur, utpote nimis acribus & sanguinem commoventibus. Ad secundam indicationem spectant ingenere, quae fibras solidas corroborant & ad contractionem stimulant, quorum referimus usum aquae frigidae in lotionibus capitis a veteribus jam commendatis, omni mane adhibitis, quibus

α) Apud P. A. MATHIOLVM Comment. in DIOSCOR. p. 431.
existat, succum a foliis expressum 3j pondere in Vae calidae cyathis 4. haustum illum sanguinem per inferna trahere, cuius redundantia caligines oculis offundit.
Quo fit, ut etiam vilum acuant comesta folia. β) l.c.
pag. 334.

bus, ut omnium solidorum, ita sensim horum vasculorum robur augetur. Conferunt hic quoque herbae & radices roborantes sub forma infusi l. decocti loco potus ordinarii adhibiti, & diu continuati. In ipso regimine curam adjuvante mire confert abstinentia a continuis lucubrationibus, & minimorum objectorum contemplatione, & ut regulam quisque observet: ne nimis diu unum idemque objectum oculis defixis intueatur, fugiatque cane & angue pejus adspectum illuminatorum corporum.

§. XXVII.

In febribus acutis & continuis, ubi aegri lecto affixi delirio sunt proximi, tanta harum macularum (§. 21.) copia confestim oritur, ut continuo floccos legant, quod signum habent medici insecuritae phrenitidis. Floccorum in acutis jam mentionem fecit HIPPOCRATES. a) Has caeteroquin a vasis sanguiferis ad nodum turgidis & varicosis oriri docet earundem evanescentia post subsecutas largas narium haemorrhagias, vel haemorrhoides.

§. XXVIII.

Ex observationibus superius (§. 23.) allatis pluribus evictum dedimus, descriptas maculas (§. 20 - 27.) in vitro & crystallino humore generari non posse; magnam tamen nobis difficultatem parit sententia tot gravissimorum

a) Lib. de diebus judicat Sect. III. f. 3. r. 17. Ed. LIND. καὶ τὰς προκίνας ἀφαιρέει εἰπὼ τῶν ιματίων, ἢν περ ἴδη, δοκέων Φθεῖρας εἶναι. Et floccos auffert de stragulis si quidem viderit, pediculos esse putans.

visimorum auctorum, qui incipientis cataractae signa describentes, obversantium pulvisculorum, fumi, flocculorum, muscarum, lanae carptae, telae aranearum & aliorum simulacrorum mentionem (§. 23.) faciunt; sed præterquam, quod ex neotericorum hypothesi haec signata in necessaria non sint, quin cataracta saepe sine his generetur, porro constat, cataractam esse vel crystallinam in crystallina lente nascentem, vel membranaceam in camera postica aquei humoris concrescentem. Adeo ut existimemus, colludentibus simul his phantasmatibus, aqueum humorem coagulatis & viscidis particulis referatum esse, cujus illa vitia sequentibus paragraphis pertractatur sumus.

§. XXIX.

Ingens opinionum apud veteres diversitas, qui tantum non omnibus humoribus simulacrorum representationem adscribunt, efficit quidem, ut recentiores optici principiis adjuti proprius in rei veritatem inquisiverint, in eo vero se & alios fecellisse nobis visi sunt, quod excluso etiam aquo humore harum macularum sedem unice in retina quae siverint. Sic A. PITCARNIVS ^{a)} multis rationibus ex opticis principiis conatur ostendere taliusmodi simulacula ab humoris aquei impuritatibus, ut pote in fundo retinae non conspicuis, deduci non posse. Ast errorem hunc subolfecisse videtur MORGAGNVS. ^{b)} Cujus illa sunt: „prudens medicus interdum quidem retinam & nervum opticum culpabit, „nonnunquam dubius cohibebit judicium, aliquando etiam

^{a)} Diff. Med. orat. I §. 14. ^{b)} Advers. Anat. VI. pag. 96.

„etiam longe alias atque alias partes vitiatas esse pro-
 „nunciabit. Ut ergo quid veri falsique subsit cognos-
 ceremus, iterum ad experientiam, fidam rerum magi-
 stram, confugimus. Sumissimus globulum cereum pisi ma-
 gnitudine de pilo equino suspensum & vasculo vitro
 aqua pleno immissum, objecimus utrumque lenti con-
 vexae descriptae magnitudinis (§. 23.), ita positae, ut a
 tergo foci oppositae fenestrae imaginem cum objectis re-
 liquis in albo pariete depingeret, & ecce iste globulus,
 qui 3. vel 4. lineis distabat a lente, sub forma maculae in
 eodem pariete conspiciebatur. Quod experimentum sen-
 tentiam PITCARNII (§. 29.) ut nobis videtur, satis ever-
 tit, imo cum forte fortuna incideremus in scriptum Cl.
 D. SCHACHERI ^a), in veritate hujus effectus magis
 confirmati sumus; testatur enim de W. E. WAGNERO,
 ipsum oculum artificiale ingeniosissime construxisse &
 pulvisculum humoris aquei vicem gerenti fluido indi-
 disse, atque tunc per crystallinum in retina apparuisse
 haec volitantia corpuscula.

§. XXX.

Probata macularum representatione in retina ex
 vitio aquei humoris (§. 29.), nobis despiciendum restat
 quomodo aqueus turbari poscit humor. Hunc autem
 continuo & consumi & regenerari ab eo demum tem-
 pore innotuit medicis, ex quo imposturas BVRRHI de-
 texere. Quando itaque sanguis quantitate viscidarum
 tartarearumque particularum peccat, lymphae secretio
 tam intemerata esse nequit, quin etiam per ampliatos
 ductulos

D

^a) Diff. de catarract. Lips. 1701. §. 13.



ductus hygrophthalmicos haec inquinamenta aqueo
communicari possint humoris, atque his indices magis au-
etis & cohaerentibus in retina depingi. Testatur hoc lau-
datus D. SCHACHERVS *a*) his verbis „nonnunquam
„aqueus corpusculis opacis non continuis sed divulsis sca-
„tet, unde pusilli culices, muscae, lanarum filamenta &c.
ante oculos obversari videntur. Idem prope modum te-
statur D. JOHRENIVS *b*) lympham corneam alluen-
tem aliquando copiosos in se continere globulos, quo-
rum alii serena tempestate diu distincti haerent, alii non
raro confluunt, alii decidentes evanescunt; subjuncta si-
mul figura aenea hos globulos repraesentante. Non mi-
nus D. FISCHER *c*) scribit ophthalmias facie maculas
excipere volaticas in aqueo humore residentes, oculoque
elato insimul quidem adscendentibus, sed sua sponte ite-
rum quoque descendentes. Spissitudinem lymphae similes
morbos procreare in primis ex testimonio D. ANTOINE
d) elucescit, qui viscidum & spissum hunc aqueum hu-
morem invenit in animalibus obstructione glandularum
in primis pancreatis ASELLI laborantibus. Poterant de-
nique & externae causae hanc spissitudinem aqueo con-
ciliare, ut sunt diurna consuetudo proxime ad ignem
culinarem commorandi, imo quoque terti halitus, qua-
le quid habet TH. BARTOLINVS *e*) de cadaveroso
halitu sub sectionibus anatomicis oculos adficiente.

§. XXXI.

- a*) I. c. §. 15. *b*) Diff. de visu Francofurt. ad Viad. 1701.
pag. 23. *c*) Diff. de praecip. oculor. morb. Erfurt 1723.
d) I. c. pag. 460. *e*) I. c. pag. 11.

§. XXXI.

Criteria, quibus haec punctula (§. 28. 29.) a maculis retinae (§. 20. 27.) dignoscuntur, sequentia in primis sunt:
 i. apparent aeque illuminata objecta intuentibus, ac maculae retinae (§. 20.) sed cum hac differentia, quod non immobiles reddantur, si oculus in certum objectum defixus quiescat, sed bulbo jam quiescente adhuc moveantur, atque vel ad fundum cadant vel lateraliter dispareant. ii. lis & pupilla non adeo resplendet, nec tanta in aquo pelluciditas, quam in sanis quibus nullum vitium est hominibus. iii. Quoties aer fit minus perspirabilis toties hae imagines frequentes sunt & molestae. iv. Qui his maculis laborant a somno etiam pomeridiano ex parte facti clariorem visum & perceptionem habere sibi videntur.

§. XXXII.

Licet per vasissimi simus, has maculas (§. 29. 31.) aeque sine ingenti visus noxa subsistere posse ac priores, (§. 20-27.) attamen vel ideo maxime periculosiores sunt, quod tractu temporis suffusionis membranaceae periculum minitentur, quare expedit de cura harum magis sollicitum esse. Prosancti hic purgantia, decocta lignorum, tincturae alcalicae & in genere omnia diaphoretica, quae discutiendi & aperiendi vi praedita sunt. MERCURIALIS ^{a)} liquorem ex pane cum pulvere foeniculi, rutaee ac melle cocto, & recens ex furno extracto, inter vas a stannea presso, collectum, magni facit. Celeb. F.

D 2

HOFF-

*) Consult. Tom. I.

HOFFMANNVS ^{a)} suum ♀ ♂ ii fixatum tanquam arcanum contra incipientes cataractas commendat, quod si verum est, & h̄c suo insigni usu destitui non debet. Externe fatus discutientes ex rad. valeriana, herb. foeniculi, cariophyllis aromaticis in vino infusis, locum inveniunt, praeprimis vapor aquae pulegii & flor. sambuci certa encheiresi distillatae, in laterem candentem injectae, sicuti in nascente cataracta, ita & h̄c eximie profest. Imo folia petroselini recentis noctu palpebris imposta Lib. Baronis de MICRANDER arcanum fuere, quo ad octuagesimum aetatis annum acutiem visus & pellucitatem aquei humoris conservavit. Denique huc symbolam suam confert usus tabaci sternutatorii Brasiliensis, cuius viribus decantatis nihil detractum volumus.

§. XXXIII.

Datur denique aliud genus macularum I. spectrorum (§. 17.) quod apertis aequis ac clausis palpebris ante oculos versatur, quodque ab aspectu solis, foci ardoris speculorum & vitrorum causticorum, camporum nive obsitorum & solis radiis corruscantium, fenestrarum luci oppositarum &c. nascitur. Hae a recensitis hactenus (§. 18 - 32.) in eo differunt, quod 1.) majores sint, & insignem campi visus portionem obscurant. 2.) quod etiam clausis oculis appareant, fistentes imaginem visi illuminati objecti v. g. solis, foci ardoris, fenestrae cum clathris ligneis, quadratulisque plumbeis I. ligneis &c. 3.) quod non ultra horam unam vel alteram durent, sed sensim evanescant 4.) quod horum disparentia, imprimis eorum,

^{a)} Diff. de Cataracta Halae Magd. 1729.

corum, quae ab immediato solis jubare nascuntur per seriem variorum colorum sibi invicem succendentium fiat, s.) quod hoc phantasma coloratum non facile nisi clausis oculis sepe sistat, quia luminis radii ab aliis objectis in apertos oculos immissi vestigia reliqui luminis radiantis turbant & ita mieram confusionem pariunt.

§. XXXIV.

Si quaeritur quomodo imagines lucidorum objectorum remotis licet objectis, perdurant, non aliam rei rationem novimus, nisi communem lucis proprietatem, qua si vivida & calida fuerit, quibusdam corporibus, ut v. g. lapidi Bononiensi, lap. smaragdino ^{a)} aliisque ita imprimitur, ut lux in tenebris superstes sit. Fibrae ergo medullosae retinae (§. 8.) ex immediato luminis radian-
tis contactu nimium convelluntur, atque in tremulum seu fibratorum disponuntur motum, qui a luminis in intimas retinae fibras penetratione oritur, quique efficit, ut particulae quadam lucis, remoto licet objecto, superstes, levem vibrationem continent, donec reliquiae materiae luminosae quasi exhalatae & dispersae fuerint. Forsan etiam nigra choroides (§. 9. 10.) retinae pellucidae incumbens multum absorbet luminis, quod in subsequenti separatione in suos primogeneos fasciculos coloratos dispescitur, & facultati sentienti circulos coloratos repraesentat.

§. XXXV.

Mira profecto proprietas in his maculis (§. 33.) ab ipso

D 3

folis

^{a)} Cujus mentionem facit D. KORTVM. in commerc. litt. Norimb. 1734. pag. 209.

solis adspexit natis later, quod nimurum non aliter nisi
 productis coloribus dispereant; quaeque diu nostrum
 exercuit ingenium, donec post multa tentamina inve-
 nerimus horum colorum permutationem sese habere
 in ratione refrangibilitatis radiorum coloratorum pri-
 migeniorum per prisma productorum. Sumimus enim
 NEVTONVS ^{a)}) demonstravit septem istos radios per
 prisma productos plus minus refringi, ita ut ruber o-
 mnium minime, violacius omnium maxime refringatur.
 Colores autem, qui clausis oculis solis imaginem exci-
 piunt, sunt primo rubeus, postea aureus, flavus, viridis
 caeruleus, indicus & ultimo violaceus, quo disparente to-
 ta disparet solis imago. Ex quo phaenomeno patet, quod
 colores, qui paryam habent refrangibilitatem cito eva-
 nescant. Hujus rei formalem causam sic explicamus:
 radii nempe colorati minoris refrangibilitatis minus di-
 stant a linea conjunctionis in qua lumen compositum
 emergit & hinc quoque minori temporis intervallo ad
 eandem lineam vergunt, radii majoris refrangibilitatis
 magis etiam distant ab hac linea, & hinc plus temporis
 impendunt, antequam evanescunt. Hoc posito, ut no-
 bis videtur, ratio in promtu est, cur prius ruber postea
 ordine naturali sequentes colores ac denique violaceus
 in superficie retinae & choroideae, quae antea luminis im-
 pressione exceperant, dispereant.

§. XXXVI.

Haec luminis vestigia auctores pasim commemo-
 rant

^{a)} In egregio opere optices pag. 178.

rant. Egregius sane apud GASSENDVM ^{a)} in exstat
 locus „si quidem PEIRESKIVS animadvertit, oculos
 „suos sic excipere rerum imagines, ut asservarent illas
 „diutius. Ita expertus est millies, cum respexisset in fe-
 „nestram clathris ligneis quadratulisque papyraceis im-
 „terstinctam, circumferre sese deinceps illius formam in
 „oculis; sed cum eo discrimine, ut, si clausos quidem con-
 „tineret, tunc clathros obscuros & quadratula candida
 „cujusmodi conspecta fuerint, videre adhuc videretur:
 „sin autem apertos in parietem non valde clarum con-
 „verteret, tum obscura quadratula; clathrum vero ejus
 „candoris, cuius paries contueretur. NIC. STENO ^{b)}
 refert, se dum temporis fallendi gratia vitro convexo
 solis radios colligeret, ille solis discus fortiter adeo suis
 oculis impressus fuerit, ut in obscurius recedenti cubi-
 culum & umbrosum parietem respicienti idem sol in pa-
 riete rutilare videretur. Has imagines solis coloratas
 non solum meminit de La HIRE ^{c)} sed & MARIOT-
 TE ^{d)}. De visus laesione ex solis inspectione sub ecclipsi
 in duabus puellis referunt Ephemerid. Natur Curios. ^{e)}
 Celeb. BOERHAVE ^{f)} testatur: se ab impressione lu-
 minis lunae per speculum convexum collecti in char-
 tam albam circulum ante oculos albissimum contraxisse
 per horas persistentem, ut de caecitate sibi metuerit.

A plu-

-
- ^{a)} I. c. pag. 317. ^{b)} In epist. med. Thom. Barthol. cent.
4. pag. 8. ^{c)} Apud DVHAMEL hist. acad. reg. scient.
pag. 343. ^{d)} Traite des couleurs ouyres pag. 318. 319.
 - ^{e)} Dec. 1. anno 9. & 10. pag. 450. ^{f)} Praelect. in
prop. institut. ex edit. Celeb. HALLERI Tom. 4. pag. 240.

A pluribus testimoniis evitandae prolixitatis causa abstinemus.

§. XXXVII.

Hi luminis radiantis imo & reflexi effectus (§. 33-36.) visui magis nocent & majori periculo stipantur, quam qui a valis retinae varicosis (§. 20.) vel aquei humoris inquinamento (§. 31.) dependent. Quod si enim quotidie a luminosis excitantur objectis, pertinacius haerent, imo tandem persistunt & in speciem amaurosis vel guttae serenae degenerant, quae causa est, quod Arabes, Persae, Aegyptii iter facientes ab arena alba, solis splendore corruscante, vel nivosis montium cacuminibus lucem vivide reflectentibus, primum haec vestigia & spectra, postremo amaurosin frequenter experiantur.

§. XXXVIII.

Optima prophylaxis horum affectuum in evitazione objectorum nimis illuminatorum & abstinentia experientorum cum speculis & vitris causticis captorum consistit, qua quippe irratione maxime palpabili causae obviam itur. Ubi vero ex itinere per campos nive, arena splendente obsitos haec luminis vestigia contrahuntur Celeb. BOERHAVE ^{a)} commendat aquam frigidam oculis adspersam, quo sine dubio remedio tonum fibrillarum nervearum retinae adjuvare tentat. G. BARTISCH ^{b)} contra maculas ab offensione luminis contractas commendat elect. ex rad. cichorii flore caeruleo & fl.

^{a)} Lib. de morb. oculor. pag. 62. ^{b)} Ophthalmologia
fol. Dresd. 1583. pag. 4.

& fl. lilior. convallium partibus aequalibus bis de die ad 3i & ultra propinatum. Idem & liquorem ex aqua fl. lilior. convallium, violarum rad. cichor. sylvestris rad. & herb. verbenae praevia digestione ex arena destillatum & pro lotione adhibitum mire laudat. Cujus utriusque medicaminis vires nobis experiri non datum est.

§. XXXIX.

Possemus hic finem scribendi facere, nisi duo adhuc darentur adfectus, qui quum minus recte a quibusdam cum his oculorum maculis confunduntur aliquam commemorationem merentur, quorum alter concernit scintillas illas igneas, quae quandoque per unum alterumve momentum, sive noctu sive interdui, ante oculos versantur. Oriuntur ab externis & internis causis. Quae ab externis, sternutatione, narium emunctione, verberibus & percussione fiunt & a veteribus *λαμπτηδονες εκτλιψις* scintillae elisiones vocabantur, nullius periculi sunt, quae vero ab internis causis sine praegressa concussione corporis vel oculi apparent, vitium retinae & nervi optici portendunt, imo saepe caecitatis prodromi sunt. HIPPOCRATI ^{a)} *μαρμαρυγας* vocantur haec scintillae a *μαρμειρω*, quod resplendeo significat, sunt vero EROTIANO explicante *λαμπτηδονες πυκναι και οιον αστραπαι πυκναι αιφνιδιοι πυρωδεις* crebrae scintillae ac veluti fulgura crebra repentina & ignea, quaeque in febribus delirium plerumque denuntiant. Quid proprie vero haec scintillae sint, difficile admodum explicatu est, non tamen nobis videntur

E

relicti

^{a)} Lib. epidem. sect. 25. t. 8. it. praenor. coac. f. 18. t. 13.

relicti luminis ab extra venientis particulae, sed si hic conjectare licet, sunt partes luminosae a retina in vitreum corpus expulsae. An forsan spiritus animales a nervis hoc plenis liquido separati & tam diu per vitreum corpus exspatiantes, donec a liquido humoris vitrei suffocati disperant? motus denique horum corpusculorum lucidorum commode comparatur scintillis in combusti papyri somite ad momentum oberrantibus.

§. XL.

Tandem coronas luminosas candelam cingentes vel circa faces accensas spectabiles a maculis descriptis distingvere oportet. Harum BRICHIS ^{a)} de la HIRE du HAMEL ^{b)} aliisque passim mentionem faciunt, & non aliunde oriuntur, nisi ab inaequalitate corneae pellucidae, a praegressa contrectatione, vel alia externa irritatione nata, & lumen inaequaliter refringente. Istiusmodi autem halones, si in lumine admodum remoto ut v. g. in luna & stellis apparent, ut plurimum aqueus humor quodam vitio laborare judicatur. Sed vela nunc contrahimus & merito has coronas relinquimus, coronidem potius dissertationi nostrae impONENTES & B. L. de meliori nota nos commendantes.

F I N I S.

^{a)} l. c. pag. 41. ^{b)} pag. 338.

01 A 6551



f
SL

WMA



9

DISPVVTATIO MEDICA INAVGVRALIS
DE
**MACVLIS PVNCTVLIS
SCINTILLIS ALIISQVE
CORPVSCVLIS VISVI
OBVERSANTIBVS**

QVAM
GRATIOSISSIMAE FACVLTATIS MEDICAE
CONSENSV
IN REGIA VIADRINA

PRAESIDE
**CAROLO AVGVSTO
à BERGEN**

MED. DOCT. ET PROF. PVBL. ORD.
NEC NON FAC. MED. h. t. DECANO

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET
PRIVILEGHS LEGITIME CAPESENDIS
IN AUDITORIO MAIORI

D. XV. APRIL. ANNO MDCCXLVII.
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTET
RESPONDENS

JOHANNES HENRICVS GÖDEKENN
HILDESIENSIS

FRANCOFVRTI AD VIADRVM,
TYPIS PHILIPPI SCHWARTZII, AGAD. REG. TYP.